



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 4. Vtrum necesse sit confiteri proprio Sacerdoti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Respondeo, Negando Subsumptum: locus enim iste intelligendus est pro ratione materiæ, cui applicatur. Ibidem enim datur etiam Apostolis plenissima potestas in peccata omnium fidelium, absque aliâ humanâ concessione. Non tamen voluit Dominus idem intelligi de omnibus sacerdotibus. Idcirco enim dedit Ecclesiæ Spiritum sanctum, qui eam docuit quemadmodum Christi verba essent intelligenda.

D V B I V M VII.

Virum omnes Sacerdotes habeant plenam potestatem in peccata mortifera, aliâs ritè confessa?

²¹ **A**ffirmatur contra Sotum. **S**ortus supra negat: eò quod hæc peccata per se sunt materia necessaria.

Dico Primò: Longè probabilius est, omnes habere plenam potestatem in peccata mortifera, aliâs ritè confessa. Tenet Nauar. cap. 4. nu. 5. Caietanus in Summa, Verbo *Absolutio*, & alij passim.

Dico Secundò: Probabilius etiam est, hanc potestatem esse ex Iure Diuino, ita vt non requiratur concessio Ecclesiæ. Tenet Ruardus, Canus, & alij iam citati. Ratio eadem est, quæ de venialibus. Nec refert, quòd per se sint materia necessaria: quia postquam semel sunt ritè confessa, desinunt esse necessaria, & transeunt in materiam liberam.

D V B I V M VIII.

Virum quiuis Sacerdos possit absolvere quemuis fidelem in articulo mortis?

²² **A**ffirmatur. **R**espondeo & Dico Primò: Potest quiuis sacerdos quemuis fidelem absolvere in articulo mortis. Est communis Doctorum, habeturque ex Capitulo, *Pastoralis officij*; Titul. de Officio Iudicis ordinarij. Et ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. in *Ecclesia Dei*, inquit, *custoditum semper fuit, vt nulla in articulo mortis sit casuum reservatio; argue ideo omnes sacerdotes quoslibet penitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Vnde sequitur, etiam *præcis* non toleratis, id est, qui per sententiam sunt damnati, excommunicati, suspensi, aut interdicti, vel qui sunt notorij percussores Clerici, competere tunc istam potestatem, quamuis id quidam negent. Nam de omnibus omnino Sacerdotibus loquitur Concilium, nemine excepto. Tenet hoc D. Thomas hac qu. art. 6. (quamuis in 3. p. q. 82. art. 7. ad 2. excipiat hæreticos & schismaticos, dicens, Non posse hæreticos & schismaticos in articulo necessitatis alia Sacramenta, quàm Baptismum, ministrare.) Sed etiam his conceditur Sacramentum Pœnitentiæ. Idem docet Canus Relect. 8. Caietanus Verbo *Absolutio* §. *necessitas*. Ruardus art. 3. vbi pro hac sententia citat Siluestrum, Paludanum, & Capreolum. Denique Nauarrus c. 27. num. 272. cap. 27.

²³ **H**æc potestas est iuris diuini. Dico Secundò: Etsi probabile sit, Iure Diuino in hoc articulo omnes habere hanc potestatem: tamen probabilius est non haberi nisi tacitâ concessione Ecclesiæ. Prior pars probatur, Quia id absolutè tenet Ruardus supra, Durandus, Capreolus, Paludanus & Melchior Canus. Nec quidquam videtur ob stare, quod eam faciat improbabilem.

Altera tamen pars videtur verior, quam tenent cæteri ferè omnes Doctores, Sotus, Ioan. Medina, Nauarrus, & alij. Probatur: Quia Confessio peccatorum mortalium est necessaria: ergo sicut iurè Diuino non est relicta libertas ea cui libet confitendi, dum sani sumus; ita neque dum sumus in articulo mortis. Neque verendum est, ne Ecclesia tunc malignè nolit concedere, quia regitur à Spiritu sancto: sicut nec verendum est, ne denegat absolutionem ab excommunicatione infirmo ritè disposito, sine quâ absolutione non potest absolui à peccato.

D V B I V M IX.

An eandem potestatem habeant omnes Sacerdotes in periculo mortis: vt, dum instat prælium, periculosa tempestas, partus periculosus?

²⁴ **R**espondeo: Omnes habere. Vt rectè Siluester Verbo *Confessor*, i. qu. 6. puncto, 7. & Nauarrus supra cap. 26. nu. 26.

Probatur Primò: Quia Canones non distinguunt inter *Articulum mortis*, & *periculum*, vt patet in Capitulo, *Eos qui*, de Senten. excommunicat. in 6. vbi *Articulum mortis* dicitur, quod paulò post vocatur *periculum*.

Secundò: Priuilegia in materia fauorabili sunt amplianda, quamuis in odiosa sint restringenda: ergo hæc nomina in sua generali significatione accipienda sunt. Tertio: Quia si esset expectandus ipse articulus mortis, v.g. quando iam anima est exitura, vel quando nauis iam submergitur, plerique huiusmodi sine absolutione morerentur.

Notandum tamen est, eum qui in articulo vel periculo mortis fuit absolutus à censuris Superiori reseruatis, si euaserit, teneri primâ communitate sistere se Superiori; non quidem vt rursus absoluaatur, sed vt mandatis eius pareat. Ita præcipitur Capit. *Eos qui*, supra citato. Alioquin nisi id fecerit, reincidit in eandem excommunicationem, vt ibidem habetur.

Qui autem absolutus fuit tantummodo à censuris reseruatis, non habentibus annexam censuram, non tenetur se sistere, nec amplius confiteri: nullum enim Ius id statuit. Vide Nauarrum cap. 26. num. 26.

ARTICVLVS IV.

Virum necesse sit confiteri Proprio Sacerdoti?

ARTICVLVS V.

Virum quis ex priuilegio Superioris possit alteri confiteri?

²⁵ **N**otandum est, In decreto Concilij Lateranensis, *Omnis vtriusque sexus, vocari Proprium Sacerdotem*, Vel eum cui ex officio incumbit cura animarum, habetque Iurisdictionem ordinariam; qualis est Papa ad totam Ecclesiam, Episcopus ad suam Dioccesim, & Parochus ad suam Parochiam, Prælati Ordinum ad Religiosos sibi subditos, Decani ad suos Canonicos. Ita Sotus